

## **Dissertatio medica inauguralis de dysenteria / [John Hyde].**

### **Contributors**

Hyde, John.

### **Publication/Creation**

Edinburgh : P. Neill, 1823.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/npnjcyen>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

(18)

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES HYDE,

Hibernus.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

---

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIII.

DISSERTATIO MEDICA

DYSENTERIA

ARTHURO HYDE

D. GEORGI BAIRD, S. T. P.  
ACADEMIAE COMITATUS KENTONENSIS



FILIUS

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUBITAT F. NEILL.

MDCCLXXIII.

VIRO REVERENDO

ARTHURO HYDE,

RECTORI DE *KILLARNEY*,

IN COMITATU KERRIENSI,

ANIMO GRATISSIMO,

PATERNÆQUE EJUS CURÆ ET AMORIS

MEMORI,

HANC DISSERTATIONEM

DEDICAT

FILIUS.

DISSENTATIO MEDICA  
VINO REVOLVENDO

ARTHURO WYDE

RECTORI DE ALEXANDRIA

DE

IN COMITATU KERNIENSI

DYSENTERIA

PATERNÆQUE EJUS CURÆ ET AMORIS

MEMORI

OMNIUM morborum quibus corpus humanum  
obnoxium est, hæc aliis præter frequentiam, pernici-  
tissimam attentionem, medici magis vindicant  
quam Dysenteria, quoniam numerus quibus intesti-  
na inserviunt, ut bene notum est, tam maximi  
momenti sunt, et tam necessaria ad vitam, ut, vi-  
tibus eorum fractis, totum corpus turbatur, et vel  
in valetudinam longam, vel etiam lethum ipsam

## DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS

DE

**DYSENTERIA.**

**O**MNIUM morborum quibus corpus humanum obnoxium est, præ aliis, propter frequentiam, paucis summam attentionem medici magis vindicant quam Dysenteria, quoniam munera quibus intestina inserviunt, ut bene notum est, tam maximi momenti sunt, et tam necessaria ad vitam, ut, viribus eorum fractis, totum corpus turbatur, et vel in valetudinem longam, vel etiam lethum ipsum

certe ruiturum ; neque mirum est cur morbus illius tubi promptius turbat totum corpus, ex consensu illum inter et alias corporis partes interventu nervorum.

Hic morbus potissimum sævit in calidis regionibus ; et facit impetum fere sub finem æstatis et in autumno, nam tunc corpus relaxatur ; formatur ad febres intermittentes proclivitas, et pluviae, quæ ineunte cadunt autumno, dysenterias et intermittentes ac remittentes inducunt. Milites, qui nocturnis vigiliis et fatigationibus ad debilitandum corpus tendentibus, idque proclivius morbo reddendum, necessario objiciuntur, huic morbo præ aliis hominibus sunt obnoxii. Infirmos homines, maxime oppidanos, qui liquores inebriantes ingurgitant, dum eodem tempore cibus nutriens et vestitus calidus sæpe iis deficiunt, et quos subitis tempestatis mutationibus constanter objiciuntur, Dysenteria sæpenumero aggreditur. Exitialis evadit, et raro periculo caret. Præ-

clarus CULLENUS sic definivit hunc morbum :  
“ Pyrexia contagiosa ; dejectiones frequentes,  
mucosæ vel sanguinolentæ ; retentis plerumque  
fæcibus alvinis ; tormina ; tenesmus.”

## HISTORIA MORBI.

INTER prima signa quæ Dysenteria affectos  
torquent, sunt pyrexia inflammatoria, et inter-  
dum conjungitur cum febre intermittente ac re-  
mittente ; præterea lassitudo, nausea, nonnun-  
quam vomitus, calor, sitis, perturbatio ventriculi,  
ut inflatio et obstipatio ; gastrodynia et rigores,  
et dolores vagantes : sed in spatio brevi temporis  
omnia symptomata fiunt pejora, ut immania tor-  
mina ventris, tenesmus, aut frequens desidendi  
cupiditas, cum magna prostratione virium ; ægro-  
tus sæpe alvum vacuefacere conatur, sed conatus  
inanes sunt, ut nihil fere præter intestinorum mu-  
cum, in quo pauxillum sanguinis, emittitur. Pul-

sus, in primo stadio, validus et frequens, nonnihil parvus et durus; et quæ excernuntur ab alvo diversa apparent, modo ex mucositate, et aliquando admiscetur cum sanguine, modo cum bile. Hic fit in illis qui terunt tempus in calidis regionibus; valde obnoxii fiunt, secretionem auctam bilis; nam quando hoc fluidum superabundat in primis viis, vel regurgitat in ventriculum, nauseam excitat, vomitum, languorem, anorexiam, vel ex natura irritante diarrhœam, vel etiam dysenteriam, debilitando tonum intestinorum, et eorum motum regularem impediendo. Dejectiones liquidæ aliquando, et similes aquæ, vel saniosæ, sed raro sunt naturales fæces; nam sæpe retinentur in colo per cursum totum morbi; sed cum apparent, induratæ et miscentur cum sanguine vel filis membranaceis, et odor fœtidissimus est. Initio morbi dolores vagi, nunc sæpe regioni hypogastricæ vel inam partem coli occupant; urina rubra et parca est, et aliquando nigra. Postremo, pulsus minores et debiliores; tormina ac tenesmus fiunt sæviora, et

adest maxima debilitas; lingua obtegitur mucoviscido; aphthæ deteguntur, interdum in fauces internas irrepentes; et partes corporis diversæ sudore viscido gelidoque madent: pyrexia ab initio aliquando adeo gravibus signis adoritur, ut delirium aliquando supervenit, et functiones omnes perturbantur. Sapor in ore ingratus sentitur; pulsus intermittentes et abnormes fiunt; vultus lividus et collapsus, et oculi diffusi sunt; caput valde dolet; dejectiones liquidæ, saniosæ et putridæ fiunt, et inscio ægro fluunt. Denique, sudores gelidi evadunt constantiores; deglutitio difficilis fit; respiratio etiam difficilis, et omnia in pejus ruunt. Postremo, singultus et defectus animi finem imponunt miseriis. In quibusdam exemplis nulla pyrexia percipitur; et alvus soluta est, et aliquando in diarrhœam desinit. Quando faustum eventum habiturum est, diarrhœa plerumque vel sponte cessat, vel remediis propriis debellatur.

## QUÆ CADAVERIBUS INCISIS PATEFIUNT.

SECTIONES cadaverum eorum qui hoc morbo correpti fuerint, monstrant varios aspectus; scilicet, intestina plus minus inflammata et crassa, præsertim colon ac rectum. Ima pars coli et ejusdem flexura leduntur magis; internæ tunicæ abraduntur, aut obducuntur ulceribus, et etiam gangræna. Peritonæum interdum inflammatur, et aliquando tegitur ulceribus; adhæSIONES inter omentum et viscera vicina adaperata sunt, et infecta gangræna. Urinæ vesica conspicitur turgida; et renes sunt tumidi; viscera thoracica aliquando subeunt mutationes insignes; pulmones ostendunt indicia inflammationis; cor reperitur amplificatum, et sanguis coloris nigri est. Præterea, integumenta abdominis inveniuntur inflammata, et muscoli abdominis fiunt flaccidi, et interdum implentur fluido sordido; abdomen distenditur flatibus, et odor pessimus emittitur.

## DIAGNOSIS.

SUNT tres morbi cum quibus Dysenteria confundi potest; scilicet, Diarrhœa, Colica, atque Cholera.

*Diarrhœa.*

INDICIA quæ maxime Dysenteriam dignoscunt, sunt, pyrexia, tenesmus, ac tormina; dejectiones mucosæ sanguinolentæ, sine fæcibus naturalibus, aut, si adsint, duræ, et parvæ, et subrotundæ; in Diarrhœa, contra, febris abest, et tenesmus ac tormina leviora sunt, vel omnino desunt. Diarrhœa, et dejectiones frequentes copiosas, et alvinas fæces, exhibet. Denique, Dysenteria sæpe oritur a contagione.

*Colica.*

IN Colica alvus astringitur. Tenesmus aut raro

aut nunquam ingruit; et pyrexia nulla est. Præterea, dolor torquet circa umbilicum, qui pressu imminuitur, sed vomitus interdum urget, sæpe stercoris instar: itaque diagnosis Dysenteriam inter Colicamque facile diducenda.

### *Cholera*

INCIPIT cum perpetua vomitu humoris biliosi; dejectiones frequentes et copiosæ sunt, et tenesmus est lenis; sed colicæ dolores acriter torquent, et inducunt surarum spasmata. Contra, febris, dejectiones mucosæ et sanguinolentæ, et tenesmus, præbent notas quibus morbi facile distinguuntur.

### CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

CAUSÆ quæ recensitæ sunt dare proclivitatem huic morbo, sunt omnes illæ quæ debilitant cor-

pus; sicuti vita sedentaria, et ignavia; et præsertim potus liquorum ardentium, qui ventriculum turbat, et reddit concoctionem malam. Calor resolvit totum corpus, præsertim in calidis regionibus; et ab experientia bene notum est, Dysenteriam in *calidio* tantum in forma maxime gravi et virulenta existere. Sed quamvis hæc aucta severitas tribuitur operationi caloris, oritur etiam ab exhalationibus paludosis; et putredine materialium animalium et vegetabilium vapores noxios gignente; quique vim quasi specificam habent ad hunc morbum inducendum.

## CAUSÆ EXCITANTES.

INTER causas quæ Dysenteriam excitant, sunt habenda frigus et humiditas, præsertim post æstum protractum; humores enim qui debent sese per cutem eliminare, versus intestina derivantur, et excitant aut Diarrhœam aut Dysenteriam;

nam mucosam membranam intestinorum stimulant, et eam inflammant. Aliquando morbus cietur a contagione, interdum natura vitiata bilis. Quin autem irritationes intestinorum orientes a vermibus, acidis, flatu et materiis aliis acerbis, possint gignere Dysenteriam, et augere vim morbi.

#### PROGNOSIS:

PROGNOSIS diducenda est ab statu symptomatum, ex vi et duratione morbi, ex constitutione et vitæ genere, et ex cœlo sub quo æger vitam degit. Si morbus haud fuerit moratus; si æger fruatur integra constitutione; si signa nec multa nec severa sint, et cedant remediis idoneis, exitum faustum prædicare licet;—præsertim si pyrexia est lenis, si tormina, tenesmus et dejectiones non sunt frequentia, sed magis naturalia, neque dejectiones sanguine mistæ; si sudores per totum corpus dif-

fusi sunt, si ægrotus petit cibum, gaudetque somno grato, et pulsus minus frequens est; et si debilitas non magna, cutisque mollis est et humida. Contra, signa qualia, pyrexia gravis, comitata cum torminibus violentis tenesmoque, dolores torquentes aut fixi, dejectiones parcæ vel cruentæ, vomitus, prostratio virium, plurimæ petechiæ, pulsus debilis et intermittens, lingua arida, singultus, sudores frigidi et glutinosi, (in quibusdam partibus corporis tantum erumpentes); vultus pallidus, et foetor cadaverosus, habenda sunt pessima, et præsagium infelix indicant.

## DE MEDENDI RATIONE.

IN hujusce morbi curatione indicationes sequentes sunt observandæ; scilicet, dolores urgentes ac tenesimum mitigare, pyrexiam tollere, et vires corporis per totum cursum morbi sustinere. Conamina medici dirigenda sunt ad expellendam

omnem materiam acrem in intestinis, et fæces induratas, usu cathartorum necnon enemata summi momenti sunt; nam nisi scybala dimoveantur, morbus non solvatur. In hoc morbo varia medicamenta tentantur; sed sales medii, et fortasse Oleum Ricini, commistum cum mucilagine, longius præstant, hæc enim oblinant intestina. Post alvum evacuatam, haustum anodynum adhibere oportet, et fomenta calida statim abdomini applicanda sunt; hæc mitigant dolores intestinorum, excitant halitum cutis, reddant circuitum sanguinis magis æquabilem, et alleviant tenesmum. Opium est adhibendum post evacuationem alvi, et subjunctum cum Ipecacuanha vel Calomelane, nam habet meliorem effectum cum excitat sudorem lenem. Diluentia tepida sumpta sunt moderate, ut eliciunt exhalationem per cutem.

Consilium secundum præcipue indicatur, quando pyrexia est vehemens, temperamentum ple-

thoricum, pulsus magnus et durus, et dolor vehemens abdominis. Detractio sanguinis indicatur, quæ diathesin phlogisticam amovet, et spasmum solvit; sed si inflammatio acuta non adest, vel si morbus induit formam putridam, vel ægri vires multum fracti fuerint, sanguinem detrahere sit hominem jugulare.

Ad explendum consilium tertium, conamina medici dirigenda sunt roborare totum corpus, et præsertim canalem alimentariam. Vires ægri alendæ sunt victu vegetabili; diæta debet constare ex decoctis hordei, oryzæ, et panis tosti, et ex lacte; quamvis in stadio ultimo juscula e carne, gelatina, aliaque ejusdem generis, quæ concoctu sunt plane facillima, adhibenda sunt; videlicet, vim corporis restaurare. Quod ad medicamenta tonica, stadio primo morbi videntur nocere potius quam prodesse; autem morbo decedente, inserviunt roborare ventriculum. Optima tonica sunt cortex Quassia, et Cascarilla,

Cinchona officinalis, radix Columbæ, Gentiana lutea. Cum debilitas est magna, vinum non solum gratum est ventriculo, sed admodum ad vires ægroti sustinendas tendit, et cum aqua misceri debet. Denique, cum ægrotus incipit convalescere, maxima cura utenda est ne morbus iterum redeatur, propter infirmitatem jam inductam; itaque æger debet stricte cavere vapores gelidos, frigus, et humiditatem: neque liquorum meraciorum usui indulgeat.

Ad expellendam materiam contagiosam, et purificandum cubiculum, vapores nitrosi acidi decet more solito diffundere.

**FINIS.**

Cinchona officinalis, radix Columbae, Gentiana  
 lutea. Cum debilitas est magna, vinum non so-  
 lum gratum est ventriculo, sed admodum ad vi-  
 res aegroti sustinendas tendit, et cum aqua misceri  
 debet. Denique, cum aegrotus incipit conva-  
 lescere, maxima cura utenda est ne morbus ite-  
 rum redeat, propter infirmitatem jam induc-  
 tam; itaque aeger debet stricte cavere vapores  
 gelidos, frigidos, et humiditatem: neque liquorum  
 meraciorum usui indulgeat.

Ad expellendam materiam contagiosam, et pu-  
 rificandum cubiculum, vapores nitrosi acidi decet  
 more solito diffundere.

a 610

DE DYSENTERIA

Cochlearia officinalis, radix Columba, Gentiana  
 lutea. Cum debilitas est magna, vinum non so-  
 lum gratis sed tractatio, vel medicatio ad vi-  
 res agendi necessaria tenent, et cum aqua mitteri  
 debet. Denique, cum ageris incipit curari  
 labor, maxima cura utenda est ne morbus ite-  
 rum redeat, propter infirmitatem jam indu-  
 ctam: itaque ager debet stricte curari temper-  
 gibus, frigore et humiditate: neque laborum  
 molestiam vel indulget.

Ad expellendam materiam viscidam, et  
 mucusam, materiam viscidam materiam  
 necesse est adhibere

---

FINIS

---